



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

5. Vltima sententia ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. I. Vtrum detur in Deo voluntas. 295

turi; exempla sunt quae supra adduximus pro sententia extrinsecè denominantium de relatione, conseruatione, & cæteris, præter quæ aliud adducitur. Quod euidenter vocatur ab aduersariis sumptum ex veritate formali propositionis, quæ licet intrinseca sit, variatur tamen per solam mutationem extrinsecam obiecti, & præterea alterum exemplum in medium proferunt, ex omnipotentia Dei petitur; de qua duplex est sententia, prima affirmat ipsam cum habere ordinem transcendentalem ad creaturas, qui sufficiat ad probandum defectum alicuius perfectionis in omnipotentia, si per impossibile aliqua, vel aliqua ex creaturis possibiles non essent. Secunda absoluit omnipotentiam, ab omni ordine transcendentali, atque asseuerat eandem perseverantiam in entitate, atque perfectionem in omnipotentia, licet omnes creaturæ possibiles non essent, nihilominus hoc prædicatum intrinsecum potentis producere creaturas Deo non competet: ecce ergo adest, & abest prædicatum intrinsecum ratione connotati extrinseci absque mutatione entitatis omnipotentia: in hac sententia quam hodie plures recipiunt & defendunt.

Denique in potentia obedienciali tam actiua, quam passiva similis formatur instantia; quoniam utraque potentia est intrinseca, & indistincta, nec habet ordinem transcendentalem ad actum supernaturalem; connotat vero ex parte Dei, seu formæ potentiam coagendi, seu informandi superiorem, & eleuantem; ita ut subla ta connotatione, nequeat dici creatura potens obediencialiter, posita autem dicatur; quod si hæc opinio probabilis est, ea sola defenduntur actus liberi diuini, nimirum manente eadem entitate in Deo denominari volentem; cum connotat creaturam cum aliquo speciali ordine ad existentiam, & non denominari, cum non connotat. Itaque ait hæc sententia, ipsum simplicissimum actum esse necessarium, ut comparatur ad Deum esse liberum, ut ad creaturas, eodemque se diligere propter se ut finem, creaturas propter Deum ut media, sine aliqua additione, nec per rationem; quia autem libertas Dei non est potentia, sed actus, hinc est, quod cum nulla additio fiat, cum creaturas libere amat, potuerit etiam sine diminutione entitatis non eas amare ex eo quod posset non terminari ad illas; ac proinde nec Deum constituere volentem illas creaturas, quoniam actus ille diuinus non tribuit necessario adequatum quasi effectum formalem Deo, sed cum dependentia ab aliqua connotatione creaturæ extrinsecè, hoc vero licet à nobis non intelligatur tribuere debemus actui libero diuino ratione infinitatis, atque eminentiæ in modo libertatis, tamen si vero omnis forma creata necessario tribuat adequatum effectum formalem subiecto proportionato, ut cernere est in actu libero nostro in voluntate existente, hoc vero propter eminentiam diuinæ libertatis, quæ non est in ordine ad actum, neque speciem sumit ab obiectis, nec ad ea ordinatur, sed absolutissime ea respicit; Itaque hæc sententia à Patris Herize sententia, Alarcon, & Arrubal differt in hoc, quod actus liber, licet petat connotatum extrinsecum in ordine ad quod constituitur, tanquam causa in ordine ad effectum, nihilominus tamen non constituitur per illud, tanquam per formale constitutum, sed per terminationem intrinsecam ad connotatum illud, seu effectum, ita ut tota constitutio formalis actus liberi consistat in illa terminatione intrinseca, quæ potest esse in Deo; ratio-

ne cuius potest actus Dei terminari, & non terminari; eo quod totam indifferentiam, quam requirit necessario libertas habeat Deus non in entitate actus, sed in terminatione illius.

SECTIO V.

Vltima sententia ponitur.

Caietanus prima parte, quaestione 19. articulo secundo & tercio, & tercia parte, quaest. 1. articulo primo, asserit, actum liberum addere à parte rei aliquid intrinsecum supra entitatem actus necessarii, & hoc intrinsecum esse perfecti onem contingentem, ac proinde posse adesse, & abesse à Deo, cum vero dicit, deesse à Deo posse intelligendus est Caietanus absolute, ac simpliciter, quatenus ex æternitate potuit non esse in Deo volitio ad creandum mundum, non tamen ex suppositione, quod ipsum semel condere voluerit; nam hoc pugnat cum perfecta immutabilitate diuina; quod autem possit adesse à Deo, non iudicat incommodum, quoniam est perfectio libera, quæ est conditio diminuens, in articulo autem tercio, §. ad hoc est dicendum, hanc perfectionem actus liberi dicit tantum esse extensiuam; quoniam perfectio intensiua amoris diuini ab ipso Deo desumitur hæc sententia Caietani sic probatur; quia effectus hic formalis, verbi gratia, volendi creare hunc mundum, non conuenit Deo necessario: ergo non potest formaliter provenire à perfectione simpliciter necessaria; quia effectus oppositus non potest provenire à causa illi opposita, verbi gratia, album non potest provenire à nigredine: sed effectus contingens, seu libere est oppositus causæ formali necessariæ simpliciter: ergo non potest à parte rei provenire ab entitate simpliciter necessaria. Ergo provenit à causâ formali formaliter contingenti superaddita realiter supra actum necessariū diuinum; sed non potest esse huiusmodi nisi possit adesse & abesse à Deo: ergo.

Confirmatur, quia impossibile videtur ut eadem forma secundum eandem omnino rationem realem det aliquam intrinsecam denominationem, & quod eadem omnino manens, & eodem modo informans, seu quasi informans, aut coniuncta supposito possit non dare illam denominationem: sed Deus denominatur volens creaturam ab aliqua forma, seu quasi forma reali, & intrinsecè existente in ipso: ergo impossibile est quod illa denominatio proveniat ex vi solius perfectionis formalis & essentialis necessario conuenientis Deo. Probat consequentia; quia hæc denominatio seu quasi effectus formalis non conuenit necessario Deo: ergo non potest formaliter provenire à perfectione simpliciter necessaria; nam hæc cum sit eadem & eodem modo coniuncta Deo, non potest nisi eandem necessariam denominationem semper tribuere. Alias eadem forma eodē modo unita posset nouum, vel diuersum quasi formalem effectum tribuere, quod intelligi non potest. Ut si voluntas mea habeat unū & indivisibilem actum immutatum, & sine vlla additione, & eodem modo illam afficientem, intelligi non potest quod nunc constituat illam formaliter volentem tale obiectum, & tamen quod eodem modo manens possit non constituere volentem illud obiectum.

Secundo sic argumentor, quia in æternitate voluntas diuina prius ratione, quam velit hoc, vel illud obiectum extra se intelligitur potens ad volendum, vel nolendum illud, alioquin non esset

set libera, & in illo signo intelligitur cum tota perfectione, quæ necessario est in ipsa, & deinde intelligitur actu volens tale obiectum: ergo necessario est ut aliquid reale Deo addi intelligatur, à quo talis denominatio, & quasi informatio orta sit; patet consequentia, quia illa denominatio non est rationis, sed realis, quia vere, & in re ipsa Deus vult & amat, & est noua; si non duratione, saltem naturæ ordine & separabilitate, quia absolute loquendo posset non esse in Deo: ergo necesse est ut veniat à forma reali intrinseca, & ex se ipsa separabili ab omni re, & perfectione, quæ necessario conuenit Deo.

33. Vergetur, quia hæc additio quæ in æternitate intelligitur fieri Deo per actum liberum secundum diuersa signa rationis talis est, quæ si in tempore fieret realiter, mutaret Deum: ergo non est tantum additio rationis, sed vera, & realis, patet consequentia, quia per solam additionem rationis non mutaretur Deus realiter, unde multi respectus huiusmodi illi ex tempore conueniunt. Antecedens vero probatur, quia alias non esset inconueniens, Deum velle libere aliquid in tempore de nouo, nec esset inconueniens illam additionem fieri Deo extra æternitatem; nam sola mutatio realis est, quæ tollit quominus detur actus liber Dei in tempore.

34. Vltimo sic probatur, quia si relatio paternitatis in Deo non esset actu, & statim in alia duratione esset, vel posset esse, sine dubio quando actu esset, adderetur à parte rei supra entitatem intrinsecam Dei; neque sola diuinitas sine additione à parte rei relationis supra ipsam diuinitatem sufficeret, ut intrinsece daretur relatio, quæ antea non erat, quia relatio est formalitas intrinseca in ipso Deo, & non denominatio extrinseca: atqui actus liber Dei, quatenus vitalis est, est perfectio intrinseca in Deo, quæ potest esse & non esse in ipso: ergo quando est in ipso actu debet esse per additionem à parte rei supra entitatem necessariam Dei.

35. Neque sufficit sola diuinitas sine tali additione ad constituendum Deum in esse libere volentis; quia forma, quæ non est similis effectui formali, non potest constituere talem effectum formalem: sed effectus formalis, aut liber actus, quatenus liber est, est contingens, & ideo ita est in Deo, ut posset non esse, & diuinitas, quia est omnino necessaria ita conuenit Deo, ut non possit villo modo non conuenire, quia implicat contradictionem non conuenire: ergo talis effectus formalis, qui est actus liber Dei non potest provenire in Deo à diuinitate.

36. Vergetur, quia quando non datur effectus formalis in aliquo subiecto, siue sit diuinum siue creatum, est quia non datur in illo forma vel quasi forma talis effectus formalis; quia existente forma in subiecto capaci illius, non potest non dari effectus formalis illius, v. g. Verbum diuinum ab æterno non fuit vnitum humanitati, hoc est defuit ille effectus formalis, vnitum videlicet, & hoc quia deficiebat ab æterno vnio: quare si ab æterno existeret vnio Verbi diuini ad humanitatem, eo modo quo in tempore existit, necessario daretur tale concretum, seu effectus formalis: atqui in Deo nunc deficit hoc concretum, seu hic effectus formalis, Deus volens creaturas esse quæ non existunt, id est pure possibilibus & quæ non habent existentiam actu, & poterat esse talis effectus, scilicet Deus volens: ergo deficit, quia deficit forma, seu ratio formalis constitutiva il-

lius; atqui nullo modo deficit diuinitas, alias deficeret Deus nunc: ergo deficit alia formalitas, quæ posset esse in Deo, & nunc non est, ac proinde ut adesset illa, deberet fieri additio à parte rei talis formalitatis contingentis supra diuinitatem à parte rei.

SVBSECTIO VI.

Prima conclusio ponitur & probatur.

IN Deo datur proprius actus liber: hæc conclusio est de fide, & lumine naturali euidens. Prima pars sic probatur ex illo *1. Samueli* 93. Deus vltionum libere egit: vbi licet primario significetur libertas à timore, coactione, & acceptione personarum, supponitur tamen virtualiter, & includitur ibi libertas ab impossibilitate, & necessitate determinante ad vnā partem contradictionis; talis enim necessitas, aut impossibilitas, si Dei voluntatem & operationem aligaret ad vnā partem, non esset possibile timore concuti, vel coactione, vel acceptione personarum ab vltionibus cohiberi, propterea quod laudaretur inaniter libertas à coactione, timore, & acceptione personarum.

Quibus consonant manifestissime illud *Supplementi* 12. [non quia impotens erat in bello subijcere impios iustos, aut bestiis sæuis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus iudicans dabas locum poenitentiae non ignorans; tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, subest enim tibi, cum volueris posse;] vbi apertissime declaratur dominium voluntatis diuinæ cum indifferentia ad operandum vel non operandum prout voluerit, ut patet ex illis verbis: [non quia impotens erat in bello subijcere impios iustos, aut bestiis sæuis &c. sed partibus iudicans dabas locum poenitentiae;] ac si diceret, ita se habere Deum circa impios, ut licet eos posset bello bestiis, & aliis huiusmodi exterminare, & destruere propter nefanda scelera eorum, nihilominus tamen ad ostendendam suæ misericordiae, & libertatis excellentiam infinitam, & summe perfectam eminentiam illis tribuisse tempus, ut resipiscentes, & poenitentiae, ac lacrymarum efficacia, ac virtute antea actæ vitæ peccata decerent ad melioremque frugem sese converterent, quæ potentia cum indifferencia orta ex plenissima cognitione liquido manifestatur illis verbis: [non ignorans; tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, subest enim tibi cum volueris posse.]

Sed libertas formaliter consistit in dominio voluntatis circa proprios actus puniendi, vel non puniendi, miserendi, vel non miserendi, cum indifferentia plena ad operandum, vel non operandum quod voluerit, & eo modo quo voluerit: ergo euidenter & manifestè declaratur his verbis libertas, quæ gaudet Deus circa creaturas.

Quibus verbis alludere videtur Paulus ad *Rom.* 9. ibi: [cuius vult miseretur & quem vult induit;] & iterum, [an non habet potestatem signatus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;] Nec discordat ipse Apostolus 1. *Corinthiorum* 12. ibi: [diuidens singulis prout vult;] hoc est ut exponit Ambrosius *secundo de fide, cap. 3.* pro libero voluntatis arbitrio non [pro necessitatis obsequio.]